Agostini, Leonardo; Gronovius, Jacobus: Gemmae Et Sculpturae Antiquae (Band 2)
Franeker, 1694 Seite 62

rin membro virili erecto, ad reſpectum virtutis generantis & fœcundantis; quoniam ex mente philoſophi, Deus & ſol generant hominem & omnes res. Deus Priapus idem exiſtimatus fuit ſoli, & Orpheus in hymno attribuit illi qualitates ſolis, ſplendentis in mundo & adferentis lucem. Membrum virile videbatur favere fæcunditati, ſolebantque pueri id geſtare appenſum collo ſub appellatione faſcini, quæ ſuperſtitiones ortum habebant ex antiquiſſimis Priapi & Bacchi cærimoniis. Etiam putabant Ægyptii ſolem eſſe eundem Priapo & Tempori, qui virtute ſua ſe demonſtraret, quæ peragrat Zodiacum & annum efficit. Talis nunc is exhibetur cum alis in humeris & pedibus in rapidiſſimo ſuo curſu, & ut ait Macrobius, pennæ attribuebantur Mercurio, ut is ornaretur natura ſolis, quippe quæ eſſet anima mundi & velox inſtar mentis. Propterea Ægyptii fingebant alatum ſimulacrum ſolis, cujus pennæ erant gemini coloris, claro altero & ſplendente, quum nempe ſol circumdat partem ſuperiorem zodiaci, altero cœruleo, quando in parte inferiori percurrit ſigna hiemalia. Abraxas dextra elevat ſceptrum cum capite upupæ, quæ avis propter quatuor colores in pennis criſtæ erat ſymbolum elementorum ac tempeſtatum: manu vero ſiniſtra tenet ſcorpionem. Refert Scaliliger has ſuperſtitioſas figuras & amuleta in uſu fuiſſe apud Arabas, quibus appellata fuerunt *Taliſmans*, geſtataque in annulorum gemmis, ſculpta certis cum obſervationibus lunæ, temporum, ſignorum & aſtrorum cæleſtium poſitionis ac benefica habita, atque adeo inde promittentes ſibi ſtupendas vires contra ſerpen-

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/agostini1694bd2/0072
gefördert durch die DFG